



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XXII. Episcopo a Ebroicensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

CAPUT XXI.

Idem. S.^a Episcopo.

Postulasti. *Et infra*: Quasiuisti prater ea, utrum contra quosdam contempti excommunicationis sententiâ debitas Ecclesie decimas subtrahentes, tibi Regiam implorare liceat ^b potestatem, cum ad solutionem earum vix absque sanguinis effusione valeant coarctari? Ad quod respondemus, quod si te huiusmodi querimoniam simpliciter deponente, Rex cui ad bonorum laudem, vindictam verò malorum gladius est commissus, in eisdem rebelles traditam sibi exercuerit potestatem, eorum erit duritiae, aut malitiae imputandum.

NOTÆ.

- I. ^a **S** Episcopo) Ita habetur in hac sexta collectione: sed inscriptionem, & litteram restitues ex capite postulasti, de foro compet. ubi integram epistolam dedi.
2. ^b **Potestatem.**) Auxilium brachii secularis, cum opus fuerit, invocandum esse à iudicibus ecclesiasticis, statuit Joannes VIII. in Synodo Trecenti, illis verbis: *Et cum opus fuerit, publicum convocent auxilium, non ad prejudicandum, sed potius ad ea, que placita sunt Deo, consequendum.* Cum enim ultra anythema ecclesiastica potestas non extendatur, hi qui Episcoporum monitis parere, vel fulmine ecclesiastico percussi ad cor reverti noluerint, seculari imperio necessario coercendi sunt. Synodus Turon. 3. can. 41. ibi: *Quos oportet per secularis penitentia disciplinam à tam prava consuetudine coerceri, qui per salutifera sacerdotum monita noluerint revocari.* Probavi latè in 2. part. textus in cap. 1. de offic. ordin. Sed cum in his canonibus, & noviter in Tridentino, dum de implorando hoc auxilio agitur, semper adjiciantur ea verba, *si opus fuerit*, vidi sæpius in Regia Cancellaria pronuntiatum, teneri omnino iudicem ecclesiasticum ad capturam laici, etiam concubinae clerici, auxilium brachii secularis petere, nec propria auctoritate posse laicum etiam in delictis ecclesiasticis carceri mancipare: sed an rectè, & secundum sacrorum canonum mentem procedat, non est nostrum disputare in præsentividendi sunt Palacios Rubios in cap. per vestras,

notab. 2. nu. 30. & 31. Avendanno 1. part. de exequend. mandat. c. 1. ex num. 22. Barbosa lib. 3. voto 92. Covar. in practic. cap. 10. nu. 2. Iul. Clarus lib. 5. sent. qu. 37. Geimon. lib. 3. de sacr. immunit. cap. 12. num. 77. Cenedo quest. 39. canon. Paz in praxi, 2. tom. pralud. 2. Bobadilla lib. 2. polit. cap. 17. num. 170. Anguianus lib. 1. de leg. cap. 30. Larrea decisi. 1. Granat. Menchaca de success. creat. §. 22. num. 28. Bel. in cap. 1. de offic. ordin. part. 1. num. 55. Amaya in l. 2. Cod. de exact. tribut. nu. 35. Gutierrez lib. 1. pract. quest. 45. & lib. 3. quest. 31. Salgado de Regia protect. 2. part. cap. 4. num. 36. Carleval. de judic. tom. 1. disput. 2. a num. 77. Frances de competentiis quest. 73. Et semper placuit communior sententia, videlicet iudicem ecclesiasticum in illis casibus, in quibus contra laicos procedere potest, etiam carceri eos mancipare valeat: tum quia concessâ jurisdictione, omnia ea concessa videntur, sine quibus exerceri non valet, l. 2. cum vulgatis, de jurisdic. tum quia quo iure finis inductus est, inducuntur etiam media necessaria ad finem tendentia. D. Thomas 1. part. quest. 39. art. 3. & quest. 82. art. 1. & quest. 119. art. 4. faciunt textus ferè disertum in cap. fraternitatis 7. dist. 34. cap. attendendum 13. 17. quest. 4. cap. contra 10. 26. quest. 5. cap. 2. de adul. cap. 2. de maledicis, l. sanctissimarum 44. §. tua igitur Cod. de Episc. & cleric. & alii congesti ab Agia de exhib. auxilii, Vela in cap. 1. de offic. ordin. 2. part. numer. 1. quod facilius procedit accedente consuetudine, ut præscripta est in Episcopatibus Salmant. & Placent.

CAPUT XXII.

Episcopo * Ebroidensi.

Exhibita nobis humilis Ioannis ^b clerici confessio patefecit, quod cum in ^c puerili constitutus esset ætate, cum quibusdam coætaneis suis ludens, & insequens unum ex illis, lapidem post eum, non animo quidem à lædendi, sed timorem incutiendi projecit: qui licet ex projecto lapide percussus non fuerit, nec tactus; ad alium tamen lapidem corruens, & caput offendens, tum propter ^e imperitiam medicantis, tum propter patris incuriam, qui ex tunc campestribus laboribus, & sudoribus ipsum exposuit, post quadraginta dierum spatium exspiravit. Quia verò dictus clericus ut mitigaretur ^f dolor patris defuncti, tanquam puer inficius ab amicis inductus, veniam super hoc ^g postulavit ab ipso, tu eum hac occasione à sacrorum ordinum susceptione repellis, quamquam idem defuncti pater in extremis laborans tibi, & Archidiacono tuo, nec non presbytero, cui suam aperuit conscientiam, confessus fuerit, & præstito firmaverit juramento, nihil ipsum in morte filii sui, prout sibi plenè confiterat

iterat, commississe. Quare idem clericus tam suppliciter, quam humiliter postulavit à nobis, ut cum de scientia, & vita laudabili commendetur, nec de illius obitu læsam habeat conscientiam, dignaremur agere misericordiam cum eodem. Quocirca f. t. p. A. f. m. quat. inquisitâ super his sollicitè veritate, si confiterit ita esse, ipsum propter hoc à receptione sacrorum ordinum non repellas.

NOTÆ.

a **E Broicensi.**) Ita legitur in cap. 1. hoc tit. in 5. compil. Sed in hac sexta legitur Eboracensi: sed quamlibet literam retineas, parum interest. De Broicensi diocesi legi in cap. 6. de testibus.

b Clerici.) In minoribus videlicet ordinibus constituti, ut constat ex finalibus verbis, ubi prohibetur illos ad sacros ordines, quos adhuc non habebant, ascendere; licet enim nomine clericorum veniant propriè ministri in majoribus ordinibus constituti, ut sæpius in hoc opere notavi; tamen minoribus ordinibus initiati plerumque comprehenduntur, ut pluribus relatis probat Barbosa de iure eccles. lib. 1. cap. 39. Unde intelligitur textus incan. 1. Concilii Arausici. In illis verbis: *Pœnitentiam desiderantibus etiam clericis non negamus.* Quæ verba referri nequeunt ad clericos in majoribus ordinibus constitutos, ut jam notavit Albalpineus observat. 7. in Optatum Milevit.

c Puerili.) Puerilis ætatis, sive puerorum appellatione intelliguntur filii statim nati, juxta illud Hieremia cap. 10. vers. 4. q. 1. ibi: *Qui nunciavit patri meo, puer natus est tibi.* Etiam puerorum appellatione continentur fervi, sive fervientes, l. uxorem 41. §. testamento. ff. de leg. 3. l. pueri 204. ff. de V. S. cap. cum pastori 78. l. q. 7. cap. si qualibet, §. Abraham 22. q. 2. Virgil. ecloga 1. ibi:

Pascite ut ante boves, pueri submitte tauros.
Pueritia ergo, sive puerilis ætas incipit à septennio, & durat usque ad decimum quartum annum; quo in sensu accipiuntur pueri in cap. pueri 15. 22. quest. 5. c. 1. de delictis pueror. Concil. Mediolan. 3. p. §. his temporibus, l. tutela 14. ff. de aliment. legat. l. in tabulis 36. ff. de statu lib. cap. in veteri 77. dist. cap. pueri 1. quest. 1. cap. puella, cap. desponsatas 20. quest. 2. cap. super 35. de prebend. cap. tunc 25. de sponsal. notarunt plures relati à Narbona in annal. anno 14. quest. 41. licet aliquando puer accipiatur pro existente in septimo anno. Luxorem 41. §. 4. ff. de leg. 3. cap. duo 12. de spons. impub. cap. vel non est. de tempor. ordin. In præsentî textu accipitur pro illo, qui habet quatuordecim annos, aut illis proximus est, qui ex delictis tenetur, cum sit doli capax, ut de lege Aquilia docetur in l. sed §. si, §. et ideo ff. ad leg. Aquil. de injuria in l. 3. §. sanè, ff. de injur. de furto in l. impuberum 23. ff. de furtis: de sepulchro violato in l. 3. §. 1. ff. de sepulchro violat. de pœna Syllaniani in l. excipiuntur 14. ff. ad Syllan. & generaliter de capitali delicto in l. cum autem 23 §. 2. ff. de edit. edicto. probant Farinac. in praxi crimin. tom. 3. quest. 91. Ioannes Robertus lib. 3. animadu. cap. 23. Schifordeg. ad Fabrurum tract. 9. cap. 5. licet ex delictis, quæ omittendo perpetrantur, mitius pueri puniantur, l. 2. C. si adversus delict. l. 6. Cod. de his quibus ut indign. auhent. si captivus, Cod. de Episc. & cleric. l. 1. Cod. de falsa monet. dicemus infra in cap. 1. de delict. puer. Unde cum in præsentî specie puer fuisset doli capax, ut constat ex verbis illis, non animo, rectè poterat puniri ex homicidio, si illud per imprudentiam non admisisset.

d Ludendi.) Licet Gentilium ludos exercere, & adite clericis prohibitum sit, cap. clerici 15. de

vita & honest. cleric. cap. inter. de excessib. Pralat. tamen ludos honestos, & statui clericali non incongruos exercere non prohibentur, ut probavi supra in cap. lator. Unde cum in præsentî specie ludus ille projiciendi lapides inter pueros licitus esset, præcipuè cum non offendendi animo exerceretur, de quo ludo Martial. lib. 4. epigram.

*Splendida cum volitent Spartani pondera disci,
Esse procul pueri, sit semel ille nocens.*

Ex Homero & aliis probat Covarr. in Clement. si furiosus, 2. part. §. 4. Pantoja de aleatoribus, ad leg. 2. Inde meritò in præsentî textu non fit irregularis, quia adhibuit omnem diligentiam in præcavendo homicidio. His tamen casibus, cum ex ludo homicidium originem trahit, solet suspensio quoad majores ordines imponi, concessio usum minorum, & retento beneficio, ut in cap. 5. hoc tit. in 2. collect. ubi Clemens III. ita scribit: *Inspectis litteris, quas bone memoriae habano predecessori nostro misisti, plenè cognovimus, quod presentium lator C. Subd. dum olim in minori ætate positus cum quodam puero ludu exercens, jactu lapidis uteretur, ipsum puerum non studiosè, sed casualiter vulneravit, de quo vulnere vix fuit curâ medicorū agente in brevitatis spatio, sicut credebatur, plenè curatus; tamen elapso anno vulnus, fecit postmodum aperturam: sed quia medicus, qui fuit adhibitus ad curandum, circa ipsum negligentia seu ignorantia, vel etiam alia culpa, minus necessariam sollicitudinem creditur habuisse: puer occasione ipsius vulneris expiravit. Respondentes igitur ad hoc, f. t. m. quatenus cum res ita processerit, eundem in minoribus ordinibus ministrare permittas, acturus circa eundem de beneficio, quod per te illi postulas conferendum, sicut ejus merita postulant, & tua melius insederit voluntati: ad altaris verò officium non accedat, qui occasionem mortis ejusdem pueri dedisse videtur.* Et in cap. 2. hoc tit. in 5. compil. Significavit nobis R. Canonicus Verdunensis, quod cum olim cum quibusdā aliis cononicis vestris intrasset Primicerii vestri domū, & ipso Primicerio in cœna una cū bone memoria H. Verdunensi canonico residente, dictus R. & alii, qui cum eo intraverant, ludèdo cœpissent alterutri inter se jacere nucleos persicatorum, tandem ludo crescente, aquam, & canum jacere inceperunt. Idem igitur R. parvum projecit lapillum contra eos, non credens, quod illo aliquis ledi posset: nec etiam tunc audivit aliquè esse lesum. Verum præfatus Archidiaconus illo fuit juxta oculos, prout videbatur, leviter vulneratus, qui vulnus hujusmodi vilipendens, continuè sequenti die, ac tertio equitavit, & sic per incautelam ejus capite tumescente, non post multum temporis diem clausit extremum. Unde dictus R. nobis humiliter supplicavit, ut secum, qui præter dolorem, què concepit de morte Archidiaconi memorati, de cujus speciali amicitia letabatur, jam per quatuor annos, & amplius in amaritudine penitentia vitâ duxit, misericordiâ facere dignaremur. Eius igitur supplicationibus inclinari, disc. v. m. quatenus de misericordiâ, qua super exaltat judicium, fructus prebendæ suæ tribuatis eidem, & sacris sibi ordinibus interdictis, ipsum permittatis in psalmis, & canticis spiritualibus Domino famulari, dummodò gravari scandalum nõ contingat.

4. *e Imperitiam medicantis*) Ut plerumque contingit, ut supponitur in *l. illicitas* 6. §. *sicuti*, ff. de offic. Presid. l. 2. l. 3. l. 4. §. *si ex plastro*, ff. ad leg. Aquil. plura de simili imperitia, & quomodo culpa annumeretur, congesserunt Mornac. in dict. l. *illicitas*, §. *sicuti*, D. Joannes Suarez ad leg. Aquiliam lib. 3. cap. 2. sect. 6. & nos in cap. ad aures. de atar. & qualis.
5. *f Dolor Patris*) Qui maximus est, l. nam etsi parentibus, ff. de inoffic. l. nec in ea, ff. ad leg. Jul. de adult. l. ult. Cod. de curat. furios. Probat latè Perez de Lara de vita hominis cap. 36. plus enim parentes amant filiorum vitam, quam suam, juxta ingentem & intentum amorem paternum, quo nullus est major. Latinus Pacatus in panegy. ad Theodos. ibi: *Quod ita instituyente natura plus serè filios nostros, quam nosmetipsos diligamus*. Tertul. lib. 2. aduers. Marcion. ibi: *Duritia populi talia remedia compulerat, ut vel posteritatis suis prospicientes legi diuine obedirent, quis enim non magis filiorum suorum salutem, quam suam curat*. Idque confirmant Aristot. 18. Ethicor. c. 12. Sabellicus l. 3. c. 4. & elegantissime expressit Alciacius emblem. 193. & latè illustrant Tiraquel. in præfatione ad leg. si unquam num. 7. Alcanius Clementius de patria potest. cap. 4. Petrus Gregor. in prælud. optimi Iurisconsulti, l. 5. cap. 7. Petrus Faber lib. 3. semestr. cap. 8. Robertus l. 2. rer. judic. cap. 15. Unde maximè lugent parentes filiorum obitum; Jacob enim scissis vestibus
- indutus est cilicio lugens filium suum; congregatisque liberis suis dicebat: *Descendam ad filium meum lugens in infernum*; ut refertur Genes. cap. 42. vers. 36. & David lib. 2. Regum, cap. 8. aebat: *Filii mei Absolon, quis mihi tribuat, ut moriar pro te*. Et quidam pater apud Ovidium epist. 1. ita Deos precabatur.
- Dij, precor, hoc jubeant, ut euntibus ordine fati, Ille meos oculos comprimat, ille tuos.*
- Probavi in cap. 2. de presumptionibus.
- g *Postulavit ab ipso*. Non tamen exinde homicidium ipsum fateri videtur; siquidem qui extrajudicialiter petit veniam ad cautelam, non censetur fateri delictum, ut probant latè Farinac. in praxi, tom. 1. tit. de inquisit. quasi. 5. num. 24. Azevedo in l. 1. tit. 25. lib. 5. recopil. Decianus in tract. crimin. lib. 3. cap. 35. num. 85. Covarr. in cap. alma, part. 1. §. 12. num. 1. nisi veniam petat in judicio, & non ad cautelam, quia tunc eo ipso fatetur reatum; quo modo intelligitur textus in cap. Venerabilem, de elect.
- h *Confessus fuerit*. Cui fides hoc casu adhibenda erat, lib. ult. Cod. ad leg. Jul. repetundar. Secus si dixisset filium suum ab eo occidum fuisse, quia tunc talis depositio neminem onerat, lib. si quis 3. §. 1. lib. Gajus 22. ff. ad Syllan. lib. 4. ff. de iustif. lib. 28. in fine, ff. ad Vellejanum, lib. 39. ff. de pignor. notavit Gothofr. in lib. 6. Cod. de testam.

CAPUT XXIII.

Episcopo, & Capitulo a Venetensi.

Ioannes sacerdos humili nobis insinuatione monstravit, quod cum die quadam pulsaret campanas, ut b signo dato conveniret populus fidelium ad divina, cadens tintinnabulum percussit quendam manentem puerum coram eo, qui licet vulneratus in capite per mensem curam recepit medicorum; post mensē tamen, quia vulnus erat mortale, decessit. Unde nobis humiliter supplicavit, ut misericorditer agentes cum ipso, permitteremus sibi exequi officium sacerdotis, Nos igitur attendentes, quod dicto sacerdoti, qui dabat operam rei licite, nihil potuit imputari, si casus omnes fortuitos non prævidit: disc. v. m. quatenus, si vobis confiterit rem ita esse, dictum sacerdotem, si aliud canonicum non obtulerit, sacerdotale officium sublato cuiuslibet appellationis obstaculo, exequi permittatis.

NOTÆ

1. a *Venetensi*. Ita etiam legitur in quinta collectione, sub hoc tit. cap. 3. De dicepsi Venetensi nonnulla notavi in cap. 22. de regulat.
2. b *Signo dato*. Plerumque pulsatio campanæ ad fideles congregandos in Ecclesia dicitur signum datum, cap. solent, 50. de consecr. dist. 2. ibi: *Solent plures, qui se sejunare putant in quadragesima, mox ut signum audierint, ad horam nam comedere*. Greg. Turon. de vitis Patrum in Gregor. Lingon. Episcopo, ibi: *Commotoque signo, sanctus Dei, sicut reliqui, novus ad officium Do-*

minicum consurgebat. Et inde campana ipsa signum dicitur. Idem Turon. in Nicetio Episcopo Lugdun. ibi: *Quod presbyter audiens gavisus iussit signum ad vigilias commoveri*. Einardus de transl. sancti Marcellini, & Petri, lib. 3. cap. 15. ibi: *Turricula, que signa basilica continebat, ab eis conspici potuisset*. Et lib. 6. capitul. tit. 168. ibi: *Ut sacerdotes signa tangant horis canonicis*. Alia adducit Rosveidus in Onomast. tom. 2. de vitis Patrum, verbo Signum percutere. Novarin. lib. 1. schediasmat. cap. 17. De origine convocandi populum ad Ecclesiam per sonum campanæ, egi in cap. 1. de offic. consod. & textum hunc exposui supra in cap. de casero.